

MEISNE

TOI 9

OLL 1000

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGI
DE SACRAMENTIS

Disputatio Vigés: & Ult:

DE

CEREMONIIS ET

RITIBUS CIRCA S. COENÆ

administrat: occurrentibus,

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Theol. D. & P.P. Magnifici p.t.

RECTORIS.

*In privato Collegio ad disputandum,
proponit*

M. LAURENTIUS SCHMIDT

Brandeburgo—Marchicus.

*Habebitur ad d. 31. Xbris, boris pomeridianis
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,

ANNO clō Id cxx.

COLLEGI
DE JACOB MANN
Dignitate V. G. & Ill.
D. F.
CEREMONIIS ET
RITIBUS CIRCA S. COENAE
administ. : occurrentibus
Hoc in
Anno 1804
III. TRIMESTRIO
DR. BALTHASARIS MEISSNERI
Rectoris
In privato Collegio ad officium
proponit
M. LAURENTIUS SCHMIDT
Bandenburg, Medicus
Habebimus ad d. 31. Xbris. hora pomeridianis
in aula auditorio
WITTEBERG
F. Officina Johannis Gornmann
anno 1804



BREVEM substituere complacuit
disquisitionem de S. Cœnæ ceremoni-
is, seu de ritibus circa ejusdem admi-
nistrationem occurrentibus. Quare
Domino clementissimè annuente ita progredi
licet.

T H E S I S I.

QUæstionis res est I. inter nos & Calvin: de
hostiis in nostris Ecclesiis usitatis, utrum scili-
cet abrogandæ, & panis grandioris quantitatîs, cibari-
us, substituendus? Nos à parte negativa stamus hisce
rationibus moti. Quicquid verba institutionis non præ-
cipiunt, necessar: non est. Panis grandioris & cibarij u-
surpationem verba instit: non precipiunt. E. necessaria
non est.

II. Quicquid CHRISTUS in Cœnæ institutione
& administrat: neq; destinavit, neq; prohibuit, illius
usus est arbitrarius & liber. Atqui neque magnum ne-
que parvum, neque azymum, neque fermentatum pa-
nem destinavit, sive prohibuit. E. illius usus est arbitra-
rius & liber, & neuter ita necessarius, ut alter excludi
& removeri debeat.

III. Obj. Iod. Nahum in assert. Edit. Sigen. 1596.
p. 19. Christus pane grandi usus est. E. & nos hujus-
modi pane uti debemus. R. nullam esse rationem conse-
quentiæ pro necessitate eruenda. Siquidem hoc duntaxat
inferri potest: Ergo grandiori pane uti possumus.

Ad quod utraque manu concedimus. Alias autem si ista ratio militare debet, & haec quoque. CHRISTUS non fermentato, sed azymo pane usus est. E. debemus nullum alium panem, nisi azymum, adhibere, & ita cibarius fermentatus panis removendus erit. Quem tamen Calviniani nonnulli adhibere consueverunt, in- quientes factum illud esse propter circumstantiam tem- poris Agni Paschalis, ut legere est apud Bezam Epist. 12. Edit: Hanov. 1597. pag. 85. Item Volum: 3. fol. 364. Bucan: Loc: 48. q. 16. Edit: Genex: 1617. p. 660. Pro- inde si haec responsio militare debet de pane azymo, con- similiter de grandiori & cibario valebit.

IV. Bucan: c. l. q. 15. Quare CHRISTUS pa- nem, non panes accepit? Ad significandum unius & e- jusdem corporis mysterium. Unde ex uno pane partici- pant communicantes 1. Corinth. 10. v. 17. Exinde ita vult colligere. Si de uno pane participandum, Er- go utendum pane grandiori. R. 1. Non satis liqui- do constare, utrum CHRISTUS unum integrumque panem in manus assumpserit & c.: Hoc saltem in verbis insit: innuitur, quid assumpserit, Panem, quo non de numero, sed de ipsa rei quidditate sermo sit. 2. Apostol: non de unitate panis individualis, sed unitate usus Sa- cramentalis loqui. Quae sententia probatur ipsi Bu- can: c. l. p. 660. inquenti. De uno pane participamus, uno, inquam, communi notione Sacramenti, non au- tem numero, & in unam finem accepto, quia in unam finem accipitur. 1. Corinth. 10. v. 17. Sic unum est Ba- ptisma omnium Christi inorum: Nec tamen omnes u- na lustrantur aqua. Alias non nihil absurditatis ex-

inde

inde pullularet. Quippe Paulus Philippus ad Corinthios scribens non posset pronuntiare, quod de uno pane participarent. 3. Nec unitas mystica & communio Sanctorum esset inter illos, qui locis disjuncti vivunt.

V. Obj. 2. Nahum p. 20. Ecclesia proxima sequens tempora Apost. usque est pane grandi. 5. & vestra Ecclesia uti debet. R. Nihil aliud exinde colligi potest ac debet, quam licitum esse in S. Cæna administrare grandem adhibere panem. Sed quid pro necessaria talis panis usurpatione & remotione usus placentalium? Conclusio proinde non respondet præmissis. Sed quidem plus inferit, quam in præmissis conceditur. Quare ritus hujus vel illius Ecclesie, non imponit legem necessitatis alteri.

VI. Obj. 3. Nahum p. 21. Hostias esse originis Papist. R. Non satis liquido constare primæ usurpationis tempus. Deinde si maxime concederemus, originem traxisse eos. Papam, non tamen sequeretur, non posse nasci sibi. Nos libere retinemus, sed non Papistico sine. Aliis multis que apud Pontificios in usu fuerunt, removenda forent. Abusu recte seposito, usus permanet purus. Nihiligitur objici potest pro removendo usu hostiarum, & introducendo ex necessitate usum panis cibarii.

VII. Sed inferat aliquis sermonem esse, de ipsa panis natura, quæ quia hostie carent, non posse adhiberi. Veram contrariam probatur facillimum est. Quicquid ex farina & aqua subactum ab ignis operatione assolidatum, id veram verum panis essentiam habet. Arguit

hostiæ nostræ ex farina & aqua subactis ab ignis operatione consolidescunt. E. veram veri panis essentiam habent.

IIIX. Connotamus merito Matth. Martin: tr: de fæder: tr: 5. c. 6. Edit: Brem: 1618, ita quæst: tractantem. An hostia dici potest panis? Panis sanè sit, minus tamen idoneus est ad Sacramenti usum, quod inusitatus, non alimentarius satis, quin etiam ob viscosum lentorem stomacho non conveniens, & non aptus ad fractionem. Quia tamen à farina vi ignis est coctus, panis dici potest. Hic notamus assertionem de hostiæ, veram panis essentiam habere. Quare non tam ineptæ, quam idoneæ, ut supra evictum. Rationes nullius valoris sunt. Ad 1. Ut ut Apostoli in primit: Eccles. non usurpare interim & tempore Epiphaniij [in Ancorato] in usu fuere. Quare ut non sequitur, in hac vel illa Ecclesia, in usu sunt hostiæ. E. Panis grandis & cibarius non debet usurpari. Sic nec hoc loco valet Apostoli aliive usurpare grandem panem. E. Panis in minore quantitate non potest, ac debet usurpari. Ut in Sacram. Baptis: nihil interest, sive aspersio, sive immersio adhibeatur: Parvitas enim sive multitudo nihil immutat in officio ad quod usurpatur. Sic & quantitas panis Eucharist. nihil immutare potest in officio, ad quod destinatus est. Ad 2. dicimus, nos non ad saturationem corporalem sumimus, itaque licet ipso actu non saturarent obtenuitatem, saturandi tamen vim habent, si in multitudine & magnitudine sumerentur. Non multum sumimus, sed parum, quia non ad saturitatem, sed propter sanctificationem hæc sumimus inquit.

quit Canon Nicen. 3. Proinde ratio de viscoso len-
tore stomacho minus conducibili p. falsa, p. nimis cras-
sa est. Fractionem denique quod spectat, dicimus o-
mnino frangendi vim continere, sunt enim solida, ut ut
non frangantur sensu & sine Calvinistico. Abeat
proinde Nahum (& cum eo ceteri) nos non uti pane
sed ejusdem spuma turpiter vociferans. Abeant sum-
matim cuncti, hostias nostras aliis nominibus ignomi-
niosius contemptim afficientes.

IX. Inficias iturus hostias veri panis essentiam ha-
bere isthoc questionis pensitandum respondendumq; re-
linquimus. Etiamne particula abscissa quantitate
hostiæ nostræ veram veri panis essentiam contine-
at? Item num guttula vini veram habeat vini essenti-
am? Negaturi naturam homogeneorum negent neces-
se est. Itaque obtento hostias nostras esse verum panem,
obtinuimus facilimo negotio usui Sacramentali idone-
as esse.

X. Intercedit 2. nobis cum Calvin. Contro-
versia de fractione panis, utrum necessario à mini-
stro in templo peragi debeat & quidem in eum finem, ut
representetur eadem fractio corporis Christi, id est pas-
sio. A. Calvin: arripiunt. Trelocat: Jun: lib. 2. instit:
Loc. 11. Edit: Lugd: 1614. p. 173. Fractione usus est Chri-
stus, non tantum gratia dividendi, seu distribuendi, sed
mortis suæ representandæ causa. Est enim essentialis &
Sacramentalis Cœnæ Dominicæ ceremonia, ad finem
& formam illius pertinens. Bucan: L. 48. q. 27. Edit:
Genev: 1617. p. 656. Estne panis fractio ceremo-

nia media, id est indifferens? Non est, sed essentialis ac Sacramentalis ad finem seu scopum, atque adeo ad formam S. Cœnæ omnino pertinens. Keckerman: lib. 3. Syst. Th. cap. 8. explic. can. 5. Edit. Hanov. 1615. pag. 372. Et fractio & distributio panis est signum, si non essentialis, saltem integrale, quod si omittatur, necesse est Cœnam Dominicam fieri mutilam &c Vid. Matth. Martin. tr. de fœder. tr. 5. cap. 8. Edit. Brem. 1618. p. 283. Par: com. 1. ad Corinth. c. 11. Edit. Francofurt. 1609. col. 740. lit. A: Item col. 787, 788. &c. Heidelb: in Verantwortung des Catech. Edit. Amberg. 1602. p. 179. &c.

XI. Rationes, quæ afferuntur, sunt potissimum sequentes. 1. Christus in prima Cœna panem fregit. R. Nihil aliud exinde sequitur, quam fractionem admitti posse, non autem debere simpliciter, & quidem eo fine, ut Calvinique faciunt, ad fractionem corporis Christi: Domino quippe alius finis seu alia ratio adfuit, scilicet ob distributionem, ut ipsemet Aretius lect. 4. de Cœn. Domin. Edit. Genev. 1593. p. 73. nobiscum confiteri habet, inquiens Fractio autem, distributioni inserviebat, alij ad mortificationem referunt, cujus quidem hic typus fuit & umbra, revera tamen fractio in Christi corpore non habuit locum, quemadmodum etiam in Agno Paschali. Item Wolfgang. Muscul. in Loc. de Cœn. Edit. Basil in fol. 1599. p. 349. in fin. num. 6. Fregit panem. Verosimile est fuisse placentam azymam ac fragilem. Integram in manus accepisse inquitur, quam fregisse dicitur. Fregit autem gratia dividendi. Et hoc illi consuetum erat. pag. 350. lit. A. Cum panem suum Christus frangeret, frangebatur, non

ut Deo Patri offerret, sed ad hoc, ut communicabilem redderet, & in suos distribueret. 2. Incertum est qualivitu & quomodo Christi fractio peracta sit. Idcirco tam rigide urgeri nequit. 3. Omnis actio Christi nostra quidem est institutio: sed pro rei qualitate & mandato presupposito. Alias & jejunium quadrages: suscipiendum foret. Quod tamen minime licitum. 4. Si omnis actio & circumstantia strictè observari debet cur non & noctu, & quidem 12. saltem convivis presentibus Sacram. Cœna administrant? Imò cur non tot portiones, quot CHRISTUS fecit, de uno integro pane azymo faciunt?

XII. Inferunt 2. verba præceptiva: Hoc facite. R. Hæc referenda esse ad ea, quæ Apost: exsequuti sunt, patescit ex propria autoris Christi explicatione Luc. 22. v. 19. ubi non actui fractionis, sed manducationis ab Apost: factæ illud τὸ το πικτε subjungit. Item ex Paul: 1. Cor. 11. v. 16. ubi comestionis ac bibitionis actui adplicata reperiuntur. 2. Quodcunque Apostoli in prima Cœna fecerunt, illud in posterum peragendum ipsis injunctum hisce: Hoc facite. At qui panem non frangerunt, sed à Domino fractum porrectumq; manducare. E. hisce, hoc facite, non injunctum ut panem frangerent. 3. Nec fractio panis in Calv: Cœna à communicantibus, sed à ministro peragitur. 4. Ipsemet Aret: inficiatur istis præceptivis fractionem præcipi. Siquidem lect. 4. de Cœna Edit: Genev: 1593. p. 74. inquit, Hoc facite, hoc est, Cœnam celebrate in mei commemorationem; Nec ad fractionem voluit hîc nos ligare. Paulo post. Memoriam sui repêtit, hoc facite, hoc est celebrate, ne ad fractionem restringas, in.

mei commemorationem. Vid: init: p.c. Vid. Zanchi: libr. 1. Epist: f. 238. Piscat: Comm: 1. Cor: 11. v. 26. Nullum itaq; mandatum de necessario tali modo frangendi pane reperitur. Zanch: in suo ad Otton, de Grünrath de fract: panis libello p. 229. Video quidem inquit, quid fecerit Christus, quid Apostoli nec ignoro sequenda esse Christi exempla: Sed apertum hęc de re mandatum nõ lego: Sicut lego porrectum est accipiendum & edendum. Abeat igitur Matth: Martin: eiq; adherentes, dum tr: 5. de fœd: c. 8. Edit: Brem: 1618. p. 283. ita colligit. Dominus apertè dicit, Hoc facite, id est, edite panem quem frangi vidistis, Frangi igitur oportebit. Cautè loquitur Par: Comm: 1. ad Corinth. c. 11. Edit: Francos: 1609. col. 785. Modò igitur stet, fractionem esse à Christo mandatam, semper fractio erit necessaria. & c: Sed si modo stet.

XIII. Obj. 3. Apost: Act. 2. v. 42. & 20. v. 7. fregisse panem. Resp. Ista dicta esse incertæ explanationis, de quam fractione ibidem sermo fiat. 2. posito ibi innui S. Cœnam & Apostol: fregisse panem, dicimus, si Christi exempl: absque mandato non obligat, multo minus Apostolorum. Quapropter non licitum exinde concludere. E. frangere debemus. Sic Loc: 1. Corinth. 10. v. 16, quem Martin. c. l. p. 284. Item Par. c. l. col: 786. subjung. non patrocinator necessaria fractioni 1. quia vox frangimus δόσιν καὶ λῆψιν denotat. 2. Ut in isto dicto probari queat fractio: Nullum interim mandatum inde redundat. Apostoli libere propter distributionem in celebratione panem fregerunt, nequaquam verò ob figurativam quandam passionis
Chri-

CHRISTI representationem, quam adversarij urgent.

XIV. Infer: 4. Cœnam à fractione nomen sortiri, ut dicatur fractio. Act. 2. R. vocab: fractionis esse ambig: Nonnunquam totam S. Cœnæ actionem, quæ in δόση & λήψει consistit, notat. Inde συνεχδοχικῶς cœnam intelligi quidam dicunt. Id interim genus argumentandi pro necessit: fractionis non procedere patet, sequeretur non nisi noctu isthoc Sacram: administrandum esse, quia exinde cœna appellatur.

XV. Argum: 5. Par: c. l. col: 788. lit. A. Fractio panis ritus est mysticus, adumbrans nobis fractionem corporis Christi. E. omittenda non est. R. Analogia inutiliter excogitata obtruditur. Namque aut sic fractum fuit corpus Christi, ut panis in multas partes frangitur. Quod falsum est & Scripturæ contrarium: Aut sic frangi panem oportebit, quomodo Christi corpus est fractum, id est in mortem traditum. Quod est ἀδύνατον. 2. Si ad representandum corporis Christi lacerationem & passionem in cruce, non minus jugitur necessariam esse, sequeretur effusionem publicam & solennem, vini in calicem (qua de nihil in instit: verbis) ad representandam sanguinis effusionem, cum isthæc realiter sit facta, & sic representatio magis conspicua foret præ illa, quæ nulla Iob. 19. v. 36. Exod. 12. v. 46. Sed absit talis & fractio & effusio ad representationem nempe instituta, Iudaismum quippe redolent. Conclud: nostram R. talis, Syllog: D. Mentz: tom: 1. diss: 7. th. 24. Omnis typus sive figura ceremonialis terminum ad quæ habet Christum, in quo impletur. Nam typus representat

suntat id, quod est in antitypo, nempe Christo, imple-
ndum. Hic vero impletio fractionis, hoc est, comminutio
in partes in pane spectatur, non in Christo. Itaque
talis fractio ut falsa, sic non necessaria est.

XVI. Collig. 6. Par. de Euchar. in 8. Edit. Am-
berg. 1612. p. 51. Item Comm. i. Corinth. II. Edit. Fran-
cof. 1609. col. 623. lit. D. Qui non frangunt, quo-
modo dicent: Panem, quem frangimus. R. Panis
dicitur $\alpha\sigma\iota\omega\upsilon\iota\alpha$ corporis Christi, non prout in partes
diminuitur, sed prout distribuitur & communicatur,
que communicatio consistit in $\delta\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota\ \chi\epsilon\iota\ \lambda\eta\psi\epsilon\iota$. Quare
verba fractionis hoc consideratu distributionem seu
communicationem importat. Et proinde optimo jure
dicere possumus panem, quem frangimus.

XVII. Pretendit. 7. Matth. Martin. de sed. tri.
5. c. 8. p. 284. Fractio usurpata tranquilliores reddit
conscientias. Qui enim faciunt, quod Christus fecit,
certius esse possunt, se recte egisse. Qui autem id omittunt,
non item. R. Qui facit id, quod Christus fecit, prout sibi
faciendum injunctum cernit, ille tranquillioris conscien-
tiae est praeter illo, qui penitus aspernatur. Quare qui a-
git id, quod Christus fecit, prout non est prohibitum &
commissum tranquilla potest esse conscientia. Interim
& ille, qui non facit, quatenus non est mandatum.

XVIII. Keckerm. Obj. lib. 3. Syst. Th. c. 8. expli-
cans. p. 372. de mutilatione. R. Actio, qualis est fra-
ctio, non potest esse pars integrans. Quod fractionem
est pars integralis panis, multo minus corporis CHRIS-
TI planum est. Vid. Mentz. tom. 1. diss. 7. Claud. de
ob. 1. 1. 1. 1.

XIX. Litigant 3. Calv.: nonnulli Symbola manu prius accipienda esse, quã ori inserantur. Solm. tom. 1. de Meth. Th. Edit. Herborn. 1609. p. 249. in fin. Receptio fieri debet manu, non ore. Vid. Bucan: Loc. 48. q. 33. p. 673. Trelcat. Iun. lib. 2. L. 11. Edit. Lugd. 1644. p. 174. Matth. Martin. tr. de fœd. 5. c. 10. pag. 297. &c. Beza vero contrarium statuit, Epist. 2. Edit. Harv. 1597. p. 21. Num igitur peccare dicemus Ecclesiis, apud quas non alij aliis Sacramenta tradunt, sed ex ministris vel Diaconi manu sigillatim omnes accipiunt, ex diversis etiam poculis bibentes. Minime profecto, quoniam ipsa sumptio, non a. sumendi modus præscribitur. Alioqui ostendant nobis oportet, qui aliter sentiunt, quid peculiaris mysterij in ista digitorum prehensione lateat.

XX. Obj: 1. VOC. Λαΐετε. R. Non semper deo-
tare manuum prehensionem luculenter patet ex Iob.
c. 19. v. 30. Iob. 20. v. 23. Gal. 3. v. 2. Deinde si maxime
constet Christũ discipulis in manus dedisse, posse isto ri-
tu, non autem debere uti, quæ defendi? Quare non da-
mus Bucano, nõ posse dici Λαΐετε, nisi manu fiat. Si quã-
dem Mater infantis ori inserens cibũ recte dicit, accipe
Crede. Sic ipse Beza Ep. 2. p. 20. confiterur ore sumere &
manducare duo esse. 2. Obj. Observat: post temp:
Apost. R. Aliud esse observare, aliud obligare. 3. Obj.
Superstitionem de immunditie. R. Id nos Papist.
errorem non salutantes amicum minime ferit. Itaq;
Bucan: recte ponit: c. 1. pag. 673. in fin. Superstitiosum
est prohibere, ne panem. Eucharist: communic: manu
accipiant: Minus recte subjicit: Quamobrem qui
offulas

offulas integras ori non manibus inferunt, adhuc Papissare sese, & superstitionis fomitem fovere, nescio qua ratione inficiari possint. Siquidem nos ex libertate Christi, & sua commoditate nec carentem istum observamus ritum. Non autem Papist: Superstit: Quippe plerumq; ultimo communicanti calix in manus datur; Sic mulieres quædam accedentes ad calicem eundem digitis manuve attingunt: Si papissaremus inhiberemus. Sed sufficiant & de hac quæst: vid: Matth: Mart: c. l. p. 298. in fin. i. §.

XXI. Litem 4. movent Calv: de administr: in privatis ædibus. Treleat: Jun: libr. 2. L. 11. p. 177. excludantur 2. Ægroti morituri. Nam communionem hanc, non privatam & domesticam, sed Ecclesiasticam & publicam Christus esse voluit. Vid: Aret: comm: 1. Cor: 11. v. 20. p. 152. Edit: 1596. in f. Bulling: hom: 1. de Cæna Edit: Tigur. 1553. a. ult. & b. 1. Bucan: L. 46. q. 64. p. 582. Ursin: part. 2. Catech. q. 75. num. 1. p. 438. Obj: 1. esse Ecclesiasticam actionem. Resp. 1. Et Christi Cæna prima in diversorio administrata fuit. 2. Datur & domestica Ecclesia Rom. 16. v. 5. Matth. 18. v. 20. Obj: 2. vocari $\sigma\upsilon\nu\alpha\zeta\omega$. Resp. 1. nuda appellatio nihil probat. Vocatur & Cæna, num igitur vesperitantum administranda? 2. dicitur $\sigma\upsilon\nu\alpha\zeta\omega$, quia ordinarie in publico Ecclesie conventu celebratur, & quia tota Christi Ecclesia de uno pane (non individuali, sed ratione usus Sacramentalis 1. Cor. 10. v. 17.) participat. Obj: 3. usum Agni Pasch. Resp. 1. Typum Christi exp: non proponi. 2. habetur mandat. Deut. 16. v. 16. quod h. l. deest 3. Except, est. Num. 19. v. 10. 4. Instant: etiamus ex Exod. c. 12. v. 3. & 4. Quare ob defectum mandati

dati aliusve pregnantis rationis, publicæ administrationi absq; privata ex necessitate licet instituenda, nos alligari non patimur.

XXII. Panis prehensio, elevatiove calicis, non adorationi, sed commonstrationi saltem inservit, ut hominum corda fortius eo ad devotionem moveantur. 2. Altaria ex libertate Eccles: ob ornatum, non autem ad sacrificandum, nisi spiritualiter de precibus intelligatur, reservantur. Consentit Beza Colloq. Mompel. Edit. 1594. p. 424. &c. Vid. Matth. Martin. tr. 5. de fed. c. 4. p. 266. ambigentem & fluctuantem. 3. Sic vestis alba. Item candelæ nullo Papist: sine superstitioso libere adhibentur. *Tantum de Sacramentis.*

COROLLARIUM.

CAlvinisequæ & in hoc loco de Cœna Domini nucleum missum faciunt, de putaminibus multum imo supra modum solliciti. Itaq; optime de illis quit dici, quod à substantiali sapientia Christo coram objectum fuit Matth. 23. v. 24. Scribis & Pharisæis hypocritis, quod scilicet sint duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

VOTIVA CONCLUSIO.


CHRISTE JESU, magna sunt tua in nos indignos, indigentes tamen, collata beneficia: Magnæ idcirco tibi debentur gratiæ: Qui non tantum in ara crucis temetipsum Patri cœlesti hostiam sanctissimam, perfectissimam & æternam pro omnibus & nobis singulis singulari amore motus, spontaneo Spiritu obtulisti, gratiam
pecac.

peccato perditam reparans: Sed & quò hujus gratiæ reparatæ participes facti certiores eò nos redderemur, Sacramentum clementer institueret, in quo mediante benedicto pane, ut constituto organo, vero & substantiali tuo corpore vivifico, mediante itidem vino, tanquam legitimo medio, sanguine tuo preciosissimo & quoad animam, & quoad corpus, totos ita refectos tibi incorporari singulari mystico modo voluisti. Effice proinde quæsum, ardenti animi devotione, quò grata mente isthujus immensæ gratiæ ac bonitatis nunquam non memores, isthoc Sacramentum cum initiationis Baptismo contra Sacramentariorum, aliorumq; fanaticorum conspirationes ac depravationes incontaminatū ad fidei augmentū & stabilimentum sæpius legitima reverentia ac timore peragamus, donec in tranquillo & beatissimo futuræ vitæ statu hujus mediij non egeni à facie ad faciem te videndo cum Patre & Spiritu S. collaudaturi erimus in æternas æternitates,

A M E N.

F I N I S.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



REGII
MENTIS
ref: & Ult:
NIIS ET
A S. COENÆ
currentibus,
EHOVA
SIDIO
IS MEISNERI
P. Magnifici p.t.
RIS.
ad disputandum.
nit
US SCHMIDT
-Marchicus.
is, boris pomeridianis
Auditorio.
BERGÆ,
NNIS GORMANNI
Io c x x.